

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 59. (*Neovidensis* 1805. Nro 56.)

*Secretum litterarum commercium vivos  
inter, ac mortuos.*

Quidam comicus salutem dicit suo Patri Elysios campos incolenti.

*Ex mundo superiore.*

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 26. Julii 1805. (Neov. 12. Julii.)

Quemadmodum director theatri, ita etiam fatum unicuique mortalium distribuit personam, quam in hoc mundo ex omnibus optimo agere debet tamdiu, quamdiu ejus vere Jobi vita duraverit. Da veniam, dilectissime Genitor! quod hæc scribens Jobum commemoraverim; uti nosti, imo satis, superque expertus es, nihil est stabile sub sole.

Quam lætæ erant spes, svavissime Pater, dum me disciplinarum condiscendarum ergo ad scholas misisti, dum parcissime vixisti, ut tantum me possem statui ecclesiastico addicere. Ea erant tunc tempora, in quibus præclarus theologus ad dignitatem Gvardiani, Prioris, immo Abbatis, Episcopi, & Principis poterat eluctari, sed interveniente honorum ecclesiasticorum profanatione, (*secularisatione.*) omnes hæc spes uno ictu præcisæ sunt. Quid, ita mecum reputabam, quid potest ex me theologo fieri? summum sacer curio; sed perspectum tibi est, quan-

tum temporis labatur, usque dum quis Paræciam, quæ vel mediocrem præstet sustentationem, consequatur. Primo fit quis Candidatus, vel adjutor curionis sacri, vel destinatur ad dicendam missam matutinam, multæ exsorbendæ sunt miserix, faciendæ conciones, initia legis christianæ pueris exponenda, invisendi ægroti, & tandem forte succedit alicui, ut in ætate provectiore ad paræciam promoveatur.

Hæ, & similes considerationes, respectus, & mutatæ circumstantiæ post maturam deliberationem me permoverunt, ut sacrosandæ theologiæ nuncium mitterem. Fixum erat, medicinæ dare operam. Ita enim argumentabar: Quamdiu vivent homines, tamdiu semper erunt infirmitates. Hic audivi quempiam gravi tussi laborantem, ibi alium contra arthritidem conquerentem, ubique animadverti vigere rheumatismos, colicas, capitis, & dentium dolores &c. quam latus, dicebam, aperitur mihi campus, si fuero medicinæ doctor.

Verum paulo post contrarium sum edoctus: 1) Hanc artem tractat quilibet absque omni peritia, si quispiam enim commemoret aliquam infirmitatem, illico omnis eidem obviis sexcenta contra eam commendat remedia. 2) Senex quidam usu exercitatus medicus introducta vaccinatione asseruit, conclamatum est de arte medica, solæ variolæ sufficiunt ad ditandos medicos. 3) Fere in singulis ephemeridibus legi ingentem quantitatem medicamentorum contra omnis generis morbos; sic apparet, ac si infirmi stulti forent,

quod medicis utantur, dum tam diversas pilulas, tincturas, pulveres, & potiones legunt in ephemeridibus super astra efferrî; imo mirum mihi videbatur, homines infirmari, & mori, postquam ex subsidiario Hufelandii libello vitam suam diutissime possunt prolongare. 4) Nuperrime adhuc deprehendi in Parisinis sanitatis ephemeridibus, omnes rheumatismos, & podagram sola calida aqua posse curari, & tunc exultabam, me studium medicinæ ad Garamantas relegasse. Quid enim doctus medicus cum omni sua cognitione lucretur, si ægroti ope solius aquæ pristinam recuperent valetudinem? Perpendi etiam cum medicamentis purgativis non posse me fieri felicem, & ideo valedixi toti facultati medicæ.

Quare nihil mihi erat reliquum in genere scientiarum, quam applicare animum ad jura. Quam jucunda exspectatio, fieri justitiæ administrum; patrimonium illis, quibus de jure competit, reddere, delicta punire, & unicuique ex Codice jus dicere! quam varix patent ad dignitates viæ Jurisconsulto! Amplissima in civitate munera, splendidissimi in Gubernio honores, præcipua in regno subsellia conceduntur Juris peritis. Nullum eruditionis genus habet tam vastum ad officia campum, quam jurisprudentia; ex fonte juridico hauriunt suam fortunam Advocati, Procuratores, Notarii, Consilarii, Judices, Senatores, Professores; Ministri, negotiorum gestores, atque consistoriorum assessores; quin imo ipsi Rabulæ, & legum corruptores inveniunt in eo sua alimenta — Quantæ vivendi viæ!

Ego jam mihi construebam sedem in tribunali- bus ; jam accommodabam vultum ad ostentandam judicariam auctoritatem, jam fundebam oracula Deæ Themidis ; jam causas cognoscebam, jam manu tenui bilanci- am, dum repente totum phantasie meæ ædificium prostratum jacuit.

Non te latet, dilectissime Genitor, me totam meam juvenilem ætatem in theologia, & deinde in medicina nugatorie consumsisse ; hæc tamdiu durans vita studiosi litterarum in Academia, & exigua spes jura perfecte discendi crearunt mihi fastidium studiorum. Accesserunt etiam aliæ jucundæ animi recreationes, potissimum autem defecit me nervus rerum gerendarum, vulgo pecunia. Multas hebdomades traduxi in curis, & sollicitudine, futura videbantur mihi tristitia, quid enim tandem ex me fieri deberet ?

His cogitationibus immersus, peragravi animo omnes status ; marsupium quotidie fiebat levius ; auxilium domo sperare non poteram, phalanx tristem cogitationum obsidebat animum, die quadam exivi meditabundus spatiatum per viam publicam. Hujus diei nunquam obliviscar, hic est vitæ meæ fortunatissimus. Animadverti a longe duos adventare currus, circa quos multi pedes incedebant, properabam illis obviam, & sum assecutus ; quidam eorum quæsit ex me, an multi divites habitarent in urbe, an theatri directio frequentes numero inventura sit auditores ?

Hos ex omni eorum apparatu collegisse comicos, vel, ut modo elegantiori lo-

quendi modo compellantur, in arte theatri; li magistros, atque artifices. Ad hunc insolitum casum mira animi lætitia perfusus sum; cum quodam eorum proficiscens per viam publicam varios miscui sermones. Vir iste mihi vehementer placuit, cui etiam promisi, me ipsum invisurum, ut primum civitatem intraverit.

Turba comicorum gradiebatur præfrensens speciem quamdam Zingariæ Majestatis, ut attigit urbem, pueri, & læminæ confluerunt lætissime acclamantes: adveniunt comici! mihi tota scena triumpho similis apparebat. Assumpti sunt a Magistratu, & produxere comædias.

Post aliquot tempus accessi virum, cum quo in itinere contraxeram notitiam, factique sumus illico familiarissimi. Exposui eisdem tristem meam sortem, at ille sine mora auctor erat, ut huic militiæ nomen darem. Ad hoc consilium totis artibus contremui, multa in contrarium proposui, sed quæ illæ ridendo dissolvit. Quid, inquiebat, videris mihi præstantissimum in orbe terrarum statum vilipendere? pudet te egregium, æstimatissimumque fieri artificem? brevi te meliora docebo, audito dicentem. Avide auscultabam.

Mundus, aiebat, est magnum Amphitheatrum, in quo quilibet personam agit vel jucundam, vel tristem. Nos in arte comica magistri, sumus tantum imitatores amplissimi hujus theatri, in quo omnes homines sunt actores, Sacri oratores formant mores, nos repræsentamus actiones hominum comicas, & tragicas, ut eosdem imbuamus principiis

socialitatis. Comicus est magni momenti persona; illi notum esse debet omne genus hominum, ut eorum actiones possit exprimere. Felicitas humanæ vitæ magis consistit in facultate imaginandi, quam veritate. Quis ex alia classe hominum potest gloriari, sibi perinde esse facile, atque scenico suam phantasiam replere magnorum, & parvorum actionibus? hodie est princeps, rex, cras mendicus, prædo, & quia, quam agit, persona exiguo tantum durat tempore, potest cum gravissimis amplissimorum virorum personis venire in contentionem, nam hæc etiam paucum post tempus expirant.

Mutatio actionum mire afficit animi motus, eapropter comicus hodie fæminæ principi, cras Columbinæ suum declarat amorem. Non capio, qui fieri possit, ut sapientissimi despiciant Actores, eos utique ad eunt, ut videant, ut admirentur. Non assequor, quis majore dignus sit commiseratione, spectatore ne, an comicus, & si citato cursu properent visuri histrionem, quis sit major histrio? Sæpenumero mirabar, Actores non facile eluctari ad excellentes honorum gradus; certum tamen est, eosdem in illis longe melius scire versari, quam nonnulli iis reipsa ornati.

Actor est præcipua in Republica persona; ille nobilissimas, quæ acciderunt, producit scenas. Ille est speculum virtutis, vel malitiæ. Ille docet vias animi affectionum, dolos, & fraudes ad factiones. Ille emollit, vel inflammat mentem hominum. Ejus triumphum consequitur risus, vel fletus. Quis est in civitate, qui tanta valet publice efficere?

Actor est etiam utilissima in Republica persona: Quid facerent homines peracto labore; si nullum foret theatrum, præsertim in magnis urbibus? Adirent tabernas vinarias, ibi se ingurgitarent, aut in aliis noxiis locis congregarentur. Per theatra formatur genius nationis, elegantia in agendo perpolitur, emolliuntur mores. Et quia omnis comædiæ epilogus matrimonio finitur, theatrum est vera schola contra cœlibatum, qui in metropolibus cum manifesto populationis detrimento mirum in modum invalescit.

Actor denique est præsentissimum Politicæ adjumentum: Politicæ interest intercipere, & punire turbatores ordinis; Theatrum est schola, in qua turpitudine sceleris, atque affectuum depravatio videtur, & auditur, sed etiam virtus, & honestas cum omnibus suis bonis consecrariis proponitur. Omnis vitæ dissolutio ut detestabilis ante oculos omnium constituitur, & sic sensim amor recti ordinis introducitur, ut Politia possit in utramque aurem dormire. Non sunt ne hæc insignia merita theatralium personarum, ob quæ illis gratiæ forent a Republica agendæ?

Ita meus amicus; o dilectissime Genitor! omnia præjudicia contra statum comicum, veluti velum ab oculis, dissipata sunt; poenitet me tam sero sapere; sine mora porrexi amico dexteram, & modo jam sum præcipua, & utilissima in Republica persona, — sum Actor.

An autem hæc vitæ ratio mihi magis sit conductura, quam studia litterarum, ignoro; Hoc unum possum affirmare: istam comicorum

descriptionem, quomodo hunc statum delegerint, esse meæ per quam simillimam. Rarissime fit, ut quis ab ineunte ætate hoc vitæ genus amplectatur. Plerosque cultiores etiam ad id infelices casus, & inauspicata rerum adjuncta impellunt. Atque hæc sunt, svavissime Pater! quæ te scire volui, ut vita jam functo demonstrarem, me etiam in theatro tui amantissimum esse filium. Vale. (*Veri facti narratio.*)

*Problema:*

Quidam Turca die festo, *Bayram* dicto, curavit sibi aliquot lagenas vini adferendas. Inaudiens hoc Mahometanæ Religioni adversum factum Muftius, sequentem ei dictavit pœnam pecuniariam: Pro secunda lagena debet aliquot piastris plus solvere, quam pro prima, pro tertia etiam plus, quam pro secunda, & sic porro in progressionem arithmetica, ut summa piastrorum pro prima, & secunda lagena, una cum summa pro tertia, & quarta solvendorum æquet numerum piastrorum ultimæ lagenæ: si piastri secundæ lagenæ, additis pro prima obvenientibus quadrentur, prodibunt piastri penultimæ lagenæ; si denique numerus lagenarum elevetur ad secundam potentiam, aderit decuplum piastrorum de perultima lagena.

Quæritur: Quotnam habuerit lagenas Turca, & quantum solverit pro qualibet lagena?

ISACUS SCHUSTER

*Francfurtensis Tabellarii filius.*